

*Vers. 19. Omne primogenitum quod fuerit natum, &c.*

III. Pars tertia, *de primogenitis*, quomodo Domino debeant consecrari. Præterea quibus de causis fieri possit, ut offerri non debeant. Simile præceptum ponitur supra Leuit. 21. de Sacerdotibus, quibus causis inepti illi effici possint ad sacerdotium, quamuis sint de semine Aaronis, & ordine sacerdotali. Tale est etiam quod hoc loco de primogenitis consecrandis præscribitur.

## CAPVT XVI.

**T** Res præcipua fuerunt solennitates, quibus omnes Iudæi debebant Hierosolymis comparere. De istis hoc loco agitur. Erant autem Pascha, Festum hebdomadarum, & Festum tabernaculorum. Secundo loco agitur de iudiciis, & eorum officio. 3. contra idola.

*Vers. 1. Custodias mensem Abib, &c.*

I. Prima pars, *de tribus festis solennibus*. Locum hunc iam supra bis tractauit, Leuit. 23. deinde Numer. 28. Prima solennitas est Paschalis, cuius institutio repeti debet ex 12. capite Exodi, & ex cap. 13. eiusdem libri. Celebrabatur hoc festum primo mense, decima-quarta eius die, & continuis septem diebus